



Huldricus natus est apud Toggienses Heluetios iuxta domum syluestrem honestis parentibus, anno reparatae salutis millesimo quadragesimo octuagesimo tertio. Is cum foelicissimo ingenio esset praeditus, a pueris operam literis dedit, atque post prima rudimenta domi percepta sese ad celebrem tum Basiliensem scholam contulit. In ea sub Gregorio Bintzlio uiro docto & mansueto artium fundamenta iecit, & postea Bernam accedens sub Heinrico Lupulo eadem excoluit. Ibi cum biennium fuisset, studiorum gratia Viennam petijt, & philosophiae gnauiter incubuit. Postea domum reuersus Basiliensem Academiam accessit, & ibidem

artibus & linguis praeclearam operam nauauit, ita ut Magistrorum artium titulo exornatus fuerit, anno millesimo quingentesimo sexto. Erat tum Basileg Thomas Vuitenbachius Theologus doctissimus, qui Zuinglij ingenium admiratus eum in sacris studijs instituit, atque ad S. Patrum lectionem excitauit. Ab eo uiro cum semina quaedam religionis percepisset, reiectis nugis Sophisticis ad Graecas literas perdiscendas animum adpulit, atque mutis praceptoribus adiutus adeo profecit, ut postea merito doctissimis Theologis adnumeraretur. uoluit enim ex ipsis fontibus non ex lacunis, diuinarum rerum peritiam haurire. Interea tamen & patribus addictus fuit, atque omnes summa diligentia euoluit, cognouit, & excussit.